

Dissertatio medica inauguralis de acidulis ... / praeside ... Georg Balthasare Metzgero ... publico solenni submittit examini Elias Rudolphus Camerarius ... in Aula nova, Add. Mart. 1663.

Contributors

Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.

Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.

Publication/Creation

Tubingae : Excudit Gregorius Kerner, [1663]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gzp6cz2r>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

ACIDULIS,

QUAM
DEO DUCE

Authoritate & Consensu Amplissimi MEDICORUM,
qui in Illustri Academia Tubingensi floret, Ordinis,

PRÆSIDE,

VIRO NOBILISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO,

DN. GEORG-BALTHASARE
METZGERO, MEDICIN. DOCT. PRACT.
ANATOM. AC BOTANIC. P.P. FAMIGERATISSIMO,
DN. Patrono atque Fautore suo omni obsequii
cultu venerando.

Pro Doctoralibus in Medicâ Facultate Honoribus
& Privilegiis legitimè ac solenniter impe-
trandis,

Publico ac solenni submittitur examini

M. ELIAS RUDOLPHUS CAMERARIUS,
TUBINGENSIS.

IN AULA NOVA,

Add. Mart. 1663.

Tubinga, excudit Gregorius Kerner.

Epistola Dedicatoria.

cā, quā privatā cathedrā me imbuistis, ut,
quod propinquum me studiorum metæ con-
spicio, Vobis acceptum referre cogar, adaman-
tino devinctus vinculo, non ob id solū, sed &
plura alia Vestræ in me *παραίερα* benevolentiae,
quæ altas & nunquam intermorituras radices
in vegetā meā egerunt memoriā. Offero ita-
que, justitiæ lege jubente, cum debitā venera-
tione, Vobis, Patroni Optimi, hunc qualem-
cunque mei foetum ingenii, ut magni confes-
sio sit debiti, ut officiosæ gratitudinis ac obser-
vantiae existat testimonium, ut denique lucis
aliquid à Vestrorum Nominum mutuetur
splendore; Quæso, benevolo, quo antehac,
etiamnum & in posterum me dignemini vul-
tu. Faxit Summus Archiater, ut Artem hu-
manæ Præsidem salutis, in qua excellitis tanto-
perè, diu feliciter exerceatis. E Musæo meo,
Calend. Mart. Anno 1663.

U. U. U. U.

E. E. E. E.

additus Client

M. Elias Rudolphus Camerarius.

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM!

Libavi antehac, L. B., cum supremos in Philosophia ambirem honores, Acidulas è scaturigine Physicis adhuc limitatâ terminis haustas, nunc gustabo easdem è Medico scaturientes fonte ad consequenda ritè Doctoris in Medicinâ privilegia, consideraturus eas disquisitione hac, de quâ paucis pauca te monitum velim. Usus Acidularum est vel Culinaris, quando aut pro potu ordinario, aut pro coquendis cibis inserviunt assuetis, aut, ut refert Thurneysserus, accitvicem apud quosdam populos subeunt, vel Medicinalis, & tùm asurantur vel internè, vel externè, & utroque modo vel universaliter, vel particulariter. Internè universaliter, cum bibuntur, particulariter, cum immittuntur in aures, nares, os, vesicam, matricem, intestina, ulcera, fistulas & vulnera. Externè universaliter adhibentur, cum pro balneo totius corporis, particulariter, cum certa alicui parti, vel per modum stillicidiij, vel per modum fomenti applicantur, & quidem formâ vel vaporis, vel liquoris, qui aut spontè scaturit, aut arte paratus flos aquæ dicitur, vel crassamenti, quod sive molle & humidum, lutum, limus, cænum, faxq; thermalis dictum, adhærens locis, quæ acidula alluunt, sive durum & siccum est, lapis seu calculus ahenarius dictum. Inter omnes hos utendi acidulis modos de universali interno solùm disquiram, quo, tanquam materia Indicantis seu auxiliij, ob vires suas in thesibus exponendas, ad variorum vel præservationem vel profligationem morborum bibuntur, curâ ordinariâ magnâ, integrâ, ut variè vocant, institutâ. Tractabo autem de iis in genere, quæ acidulis, rimaturus earum Naturam, quæ, cum physica alibi jam tractaverim, hîc elucescet ex Indicantibus & Prohibentibus, ac Usus legitimum consistentem in debitâ quantitate, tempore, loco, modo agendi, diætâ & sublatione symptomatum quorundam earum potui obvenientium, quæ cuncta eâ, quam amplitudo & prolixitas materia concedent, brevitate enodabo, stylog; simplici recensebo, suffraginantibus propositum meum, quod conceperam animo, prolixius & tersius aliquantum hanc excutiendi materiam, rationibus quibusdam haud levibus, quas propalare vetat malevolus zoili dens. Vale, L. B., deq; hac tentamine eo, quo propono ego, iudica animo.

In Nomine Archiatri Cœlestis!

THESIS I.



Indicantia acidularum ex earundem innotescunt facultatibus, quas haurire licet ex naturâ mineralium, quibus suas debent vires. Mineralia autem, quæ acidulis insunt, ut disserit Avus meus p. m. Ioh. Rædolphus Camerarius, memor. medic. Cent. 10. part. 74. duplicis sunt generis; acida, & acore destituta. Ab his vires quidem acidula accipiant: at non saporem acidum: ab illis & vires & aciditatem habent: intensiorem quidem à chalcantio, & ejus speciebus: (ubi enim inveniuntur acida, ibidem aut certè locis conterminis chalcantiofodinas reperire est. 2. Chalcantum saporis acidissimi esse norunt omnes Chymista, qui vel chalcantio, vel ejus oleo, aut spiritu, quo nihil acidius, dicto citius tincturam rosarum acore jucundissimo cum febribus calentissimis, ipsâq; peste pugnantes concinnant) remissiorem vero ab alumine: adhuc remissiorem ab ære seu cupro: infirmissimam à ferro. At demo hîc duo posteriora, cum remissus, isque à vitriolo mutuatus eorum sit acor, è contra verò sulphur addo, persuasus non solum sulphureo multarum acidularum odore, sed & spiritu ejusdem sive oleo passim in officinis usitato, acore spiritui vitrioli tantum non cedente, ut ejus usu hæmoptoicos factos ob aciditatem & acredinem noverim, imò sulphur unicum esse subjectum, unde omnia vitriola acidum suum nanciscantur spiritum, prolixè probat Angelus Sala dissert. de Spirit. vitrioli. cap. 6. Vitriolum igitur, alumen & sulphur, vel culinaribus etiam aquis acidum communicantia saporem, ea esse judico, quæ aciditate & viribus insignibus donant acidulas, quæ quibus gaudeant facultatibus, brevibus enarrabo. Vitriolum, cujus varia genera ex Oribasio lib. 14. collect. c. 10. Encel. l. 2. de re metall. cap. 2. & aliis petere jubet Sebizius de acid. calefacit, refrigerat, siccatur, adstringit, consolidat, abstergit, putredinem inhibet, aperit, attenuat, incidit, roborat, & ut tradit Dioscorides l. 5. c. 64. ejusque interpres Matthioli latas ventris tineas drachmæ pondere voratum aut cum melle linctum necat, ex aqua potum adversus fungorum venena auxiliatur, imò non solum hæc, sed tam ad mineralium, quam plantarum & animalium venena extinguenda, omnesque morbos venenatos curandos arcanum esse spiritum vitrioli dicit Faber

Pallad. Spagyr. cap. 17. quas tam diversas tamque nobiles facultates monstrant abundè *Hermetici* in variis ex eo prolectis medicamentis, ut vix ullus reperiat morbus, cui ex vitriolo cuneum non opponant, hincq; *Paracelsus* quartam pharmaceuticæ columnam id statuit. Agunt de eo prolixè & accuratè *Minderer in tractat. de chalcantio*, ejusque contra *Castellum* defensor *Verbezius*. *Alumen*, cujus originem & species videre est apud *Plin. l. 35. c. 15.* (citante *Sebiz.*) & *Georg. Agricol. l. 3. de nat. fossil. pag. m. 588.* calefacit, nec enim, ut quidam volunt, vis adstringendi ejus repugnat caliditati, cum multa vegetabilia & mineralia calida adstringant, siccant, valenter adstringit, densat, consolidat, purificat, & aquis mixtum mineralibus, attestantibus *Thurneyssero* & *Tabernamontano*, deobstruit ac aperit. Hinc plures tollit morbos, quorum præcipuos collegit *Eisenmengerus, Practicus Heilbronnensis exercitatisimus, in descript. font. hepatic. in territor. Heilbronnens.* *Sulphur* calefacit, exiccat, concoquit, discutit, emollit non nihil, attrahit, abstergit, attenuat, putredini resistit, multisque adversatur venenis, unde id tam crudum quam præparatum toties *Medici* suis miscent medicamentis, quorum ingentem farraginem collegit *Vnzerus, de sulphur. pag. 26. & seqq.* qui non solum de his, sed & de ejus generibus, aliisque consuli potest.

II.

Ex his itaque ingredientium, sive unius vel alterius solitariè, sive invicem mixtorum facultatibus colligere facile est, malè despiciere & aquis fontanis æquiparare acidulas *Panarol. observ. 16. pentecost. 1.* sed nobilissimas esse e contra earum vires, quas *alteratione, corroboratione & evasuatione* peragere dicit *Ionston. Id. Medic. pract. l. 3. cap. 2.* Quatenus *alterant*, nec calefaciunt solum, quod volunt quidam moti ingredientium caliditate, acredine, & viribus variis attenuandi, incidendi, aperiendi, sabulum & calculos conterendi ac expellendi, nec refrigerant solum, ut credunt vicissim alii, eò ducti ipsa communi aquæ, cujus magna adhuc adest portio, proprietate, & experienciâ, docente, sitim ex calore contractam omnesque ferè affectus calidos universales & particulares tolli iis, sed faciunt utrumque, calefaciunt, refrigerant, exiccant, adstringunt, densant, consolidant, resolvunt, attenuant, aperiunt, incidunt, deobstruunt, digerunt, abstergunt, repellunt, emolliunt, coquunt, discutunt, purificant, putredinem inhibent, venenis deniq; resistunt, quæ potissima facultas præcipuè in acidulis *Göppingensibus in hoc Ducatu cele-*

bribus elucet, quarum ope Serenissimus Wirtembergia Dux CHRISTOPHORUS, pientissima memoria, quondam valetudinem, quam ex exhibitio clàm in Gallia (in Italia propinatum fuisse dicit N. Schwelin Chron. Wirtemberg. pag. 212.) veneno contraxerat debilem & morbosam, nec ullis, licet generosis, reparabilem remediis, pristinam recuperavit firmavitque, postquam per tres annos quavis æstate bibit eas, ut testatur prolixèque describit Tabernamontanus hydrothesaur. part. 1. cap. 80. quam etiam vim maximè Swalbacensibus tribuit acidis Clariss. I. D. Horstius descr. ear. p. 32. Quatenus corroborant, tonum visceribus addunt, laxasque in corpore partes p. n. firmant. Vacuationem negare tentant nonnulli, cum Hippocrates de aer. aq. & locis scribat, minerales aquas, & difficulter per urinas reddi, & ad alvi egestionem esse contrarias, sæpeque acidulæ retineantur in corpore, variis subsequentibus symptomatibus. Verùm de mineralibus in genere aquis & quidem pro potu ordinario sumptis, non ut medicamentis, loquitur Hippocrates; si verò retinentur, fit id ob varias ipsis non imputandas causas; quid, quod purgantia illa non rejiciuntur statim, quæ non semper omne purgant subiectum. Vacuant igitur per alvum, vomitum, vesicam, sudorem, insensilem transpirationem, ptyalismum nonnunquam, ut notat doctissimus Schneiderus de catarrhis lib. 4. cap. 5. aliisque particularium evacuationum, ut vocant vulgò Medici, modis, non tamen vi peculiari cathartica, quæ purgantia operantur propriè dicta, cum talis denegetur & aquæ & ingredientibus mineralibus, sed partim quantitate gravando seu irritando, partim qualitatibus variis, imbibendo, abluendo, detergendo, stimulando, aperiendo, incidendo & attenuando. Ast in genere de acidulis, quæ talibus, hæ prædicantur vires, hinc his in specie hæ, illis aliæ magis competunt facultates, prout hæc vel illa mineralia majore vel minore copiâ, intensiore vel remissiore activitate continent, proque commixtione varia specialium mineralium recensitorum quædam obtundentium, nec in specie, etiam si accuratam sæpè mineralium ingredientium habeamus notitiam, omnes ita determinare facultates possumus, quia à naturâ chymicas hic operas exercente, & mineralia variè miscente, diversæ sæpè ab iis, quæ crudis simplicibus insunt, producuntur vires. Specificas ergò acidulæ possident qualitates, quas sola monstrat experientia optima rerum magistra, quam præcipuè consulere in acidulis suadet Ampliss. Collegium Medicum Marpurgense, in Resp. ad Dieteric. de acid. Swalbacens.

Badens. anno 1630. quod & eleganter diducit Petrus de Spina in Epistola ad eundem de iisdem scripta anno 1631. & hinc est, quod Heer empiricum remedium & sagacem requirens Medicum vocat acidulas, lib. 1. observ. 1.

III.

Quæ igitur *causa morifica*, qui morbi, quæ *symptomata præcavenda* vel *tollenda* indicent acidulas, enumerabo, si dixerò prius & spirituosa earum naturam, & ipsius corporis texturam, & quotidianam experientiam refutare sententiam *Helmont. de font. Spadan. paradox. 5.* & ejus affectæ *Grembs. arbor. integr. & ruinos. homin. l. 1. cap. 4.* dicentium, non transcendere acidulas hypochondrium, cæterosque affectus partium extra hypochondrium, si quos tollant, tantum per consensum oriri ab eo, idiopathicos verò illarum partium morbos non curare, sed statim cum urinâ, quia minerales sint, excerni acidulas. Res autem illæ p. n. ut potissimas enarrem, sunt intemperies, inflatio, ardor & dolor ventriculi, appetitus dejectus, nimius, depravatus, sitis nimia, coctionis læsio, singultus, nausea, vomitus, cholera, ructus, cibi incontinentia, intemperies intestinorum, flatus & vermes in iisdem, herniæ, alvus officium non faciens suum, diarrhœa quæcunque (quorsum in specie valdè suas *Wisbadenses* commendat, & quomodo id præstent, explicat *Weberus descript. ear. l. 3. f. 2. cap. 8.*) dysenteria, (etiamsi contrarium multi sentiant *Medici*, cum, ut *Sennertus, Medicorum suo seculo princeps, l. 3. part. 2. sect. 2. cap. 7.* dicit, una opera acidula pluribus scopis satisfaciant, acres scil. humores diluant & deturbent, sordes ulceram detergant, & ulcera ipsa egregiè consolident, pluresq. *Medici Itali testentur, multos dysenteria laborantes, cum constante ætate, tum pueros & senes decrepitos, innumera alia remedia frustra expertos, re penè jam desperatâ, hoc uno auxilio evasisse.* Cui etiam patrociniatur sententiæ, quod spir. vitriol. & sulphur. innoxie exhibentur dysentericis, teste *Waleo method. medend. p. 167.* hinc & *Hor. Augenus Tettucianas* aquas in hoc morbo laudat valdè *l. 1. Epist. medicinal. cap. 7.*) colica tam à frigidâ quàm à calidâ causâ oriunda, iliaca passio, obstructio vasorum lacteorum, glandularum mesenterii, lumbarium, cordis palpitatio, animi deliquium, fervor sanguinis (contra quem præcipuè commendat acidulas ab *Herden in Epist. ad Schnizerum*, citante *Hornung. in Cist. medic.*) tussis, empyema, (in quo affectu tamen majoris gratiâ securitatis cum acidulis exhibet decoct. sanicul. & veronic. *Steogh de fonte medic. Kissingens. cap. 7.*) respiratio difficilis, gutta rosacea, ophthal-

ophthalmia & alii etiam oculorum morbi, aurium tinnitus, surditas, hæmorrhagiæ & phlegmatorrhagiæ narium, coryza, catarrhi varii generis, dentium affectiones variæ, dolor præsertim, gingivarum vacillatio, oris amaror, anhelitus fœtor, dolores capitis, vertigo, spirituum animalium omniumque sensuum debilitas, vigiliæ nimix, coma utrumque, lethargus, carus, apoplexia, paralytis, paresis à colicâ & scorbuto, melancholia, maniacus furor, (ad quem imprimis facere *Sinuessanas* aquas dicit *Mercurialis Medic. pract. l. 1. c. 16.*) convulsiones, epilepsia, intemperies, inflationes, tumores, scirrhi præcipuè hepatis & lienis, eorundem & vasorum circa ea obstructions, morbus Latinus, (ut affectionem hypochondriacam vocat *Clarissimus I. D. Horstius in descr. acidul. Ju Dönningstein / p. 15.* in quo quidem morbo prohibet acidulas *Matth. Martini de morb. hypochondr. pag. 97.* sibi tamen post contradicit *p. 133.* Valdè extollit eas *Geygerus microcosm. hypochondr. cap. 25.* ita differens: *Acidulae, quia ferventi sanguini frigidam affundunt, quia crassum humorem attenuant ac incidunt, quia obstructa reserant, quia spiritus figunt & frenant, quia terrestre oppilans educunt, multis dotibus omnia alia præcedunt medicamenta.* Assentit in hoc, quod efficacissimæ sint, *acutissimus Highmorus d. aff. hypoch. cap. 7.* at quoad modum agendi, quia aliam proponit morbi causam, dissentit.) scorbutus, (consentientibus *Sennerto, Horstio, Drawitz,* omnibusque penè, qui de hoc scripsere morbo) cachexia, icterus uterque, hydrops, (etiamsi hydropicos arceant nonnulli ab acidulis, ego tamen simpliciter eas iis non interdico, laudat enim eas in hoc morbo *Solenander sect. 4. consil. 9.* ut & *Maurit. Cordaus in lib. 3. Hippocrat. de muliebr. commentar. 5.* exemplis earum in hoc morbo utilitatem confirmat, recensente *Ifr. Spach. de morb. mulier.*) dolores nephritici, renum calor, obstructio sive à materia tartarea, viscida, sive sabulo, calculo orta, exulceratio eorundem, (quod contra quosdam negantes probat *Hörnigh de Svalbac. acidul. quest. 58.* cui commune sentit *I. Küffer,* uti videre est in *Fabric. Hildan. cent. 6. observ. 44.*) vesicæ calculus, scabies, mictio involuntaria, (quem morbum sæpissimè *Dainacensium* aquarum in hoc Ducatu eminentium usu sublatum esse experientiam testem adducit *Leporinus in descr. ear.*) ischuria, stranguria, dysuria, diabetes, mictus cruentus, hæmorrhoidum vitia, gonorrhœa, salacitas, mensium fluxus nimius, inordinatus, suppressio, fluor albus, suffocatio hysterica, abortus, mola, sterilitas, uteri procidentia, intemperies, tumor,

atrophia, corpulentia nimia, arthritis, chiragra, podagra, gonagra, capillorum defluvium, lassitudo, tremores, vulnera, internarum præcipue partium, ulcera, scabiei & lepræ species variæ, tumores variæ sortis, scirrhusi, phlegmonodes, erysipelatodes & reliqui, cancer, exanthemata varia, febres tam ephemeræ, quam putridæ ac hecticæ, tam primariæ quam secundariæ, tam acutæ, quam chronicæ, tam continuæ, quam intermittentes (inter quas quartanam pertinax aliàs malum domant acidulæ præcipue & in specie quidem ante laudatas *Dainacenses* id præstare pluribus exemplis confirmatus dicit *Wolfg. Gabelkov. cent. 6. curat. 81.*) tam benignæ, quam malignæ, noxæ denique vini immoderatè poti sequenti die ingruentes. Variè itaque *alterando, roborando & vacuando* dum agunt acidulæ, his rebus adversantur præternaturalibus, ortis à causis sive *externis*, sive *internis*, hisque sive *proprio* partium, sive *externo errore genitis*, sive *aliunde*, vel à toto corpore, vel parte aliquâ per arterias cum sanguine *advectis*.

IV.

Tantæ acidularum virtutes impulerunt nonnullos, ut quosdam proponerent modos, quibus *medicamenta acidulis substituenda aut præferenda etiam*, vel aquas, eas quoad omnia referentes, confici posse persuadent sibi, inter quos quidam *satino quodam pulvere* paucorum pondere granorum exhibito, vel *exiguo liquore* compendium promittunt acidularum, non ita corpus eo, ut magnâ aquarum copiâ offendi jactantes. *Verum* non parum hi errant, talis enim offensionis metum excutit frequentissimus isque innoxius acidularum usus, paucissima autem illa pulveris quantitas salis alicujus fixi quomodo imitari potest effectus acidularum spiritibus suis subtilibus quæque penetrantium? nè quid de inimitabili illâ Naturæ in aquis his mixturæ dicam. Alii *spiritum vitrioli vel crudi, vel martis, vel tinctur. mart.* affundunt aquis, quales modos ex *Plater. observ. 3. lib. 3. & Polissii Professor. Viadrini analect. pract.* adducit *Magnus Relsinkius dissert. de cupro & ferro cap. 7.* *Verum* æmulantur tales aquæ acidulas, non imitantur, nec enim, ut *Ellenberger de acid. Wildung. c. 1.* scribit, ex solo vitriolo constant acidulæ, nec spiritus vitrioli, quod & de reliquis dicere possum, tali, quali acidulæ, subtilitate eminet aut penetrabilitate, ut & hîc taceam, quod naturæ paria facere in aquis talibus miscendis ars ne queat.

Ab Indicantibus ad Prohibentia ordine devoluto offerunt se rationes quædam primâ facie haud leves, usum acidularum omnem omnibus interdixentes, quarum jam proponam potiores. 1. *Grembs loco supra cit. num. 16.* non omnimodâ acidulas carere noxâ, quia occultam arsenici infectionem admixtam habeant, dicit; dicit, inquam, non probat. 2. Acidulæ aquæ sunt minerales & metallicæ, at, secundum veteres præsertim *Medicina antistites*, metallica, quia calori nostro improporcionata, noxia sunt, in corpus si assumantur, præsertim verò aquas tales insuaves, potuique inhabiles *Halij Abbas theor. 5.* duras æstuosasque *Hippocr. d. aer. aq. & locis*, omnes malas *Avicenna l. 1. fen. 2. cap. 16.* vitiosas *Vitruvius 8. de aquis 3.* vocat. At dispar est minerarum, quæ meræ, crudæ, nulloque modo correctæ calori nostro non ita sunt proportionatæ, & acidularum spirituosâ potissimum, subtili & à naturâ optimè præparatâ ac correctâ earum substantiâ imprægnatarum ratio; nec probabitur unquam, omnia, quæ mineralis & metallicæ naturæ sunt, intra corpus assumpta noxia esse: Veteres enim jam usos fuisse metallicis patet, cum *Galenus Nicostрати* infusum commendet, quo etiam *Menander* usus est, continet autem id inter alia *gypsum, calcem viyam & stibium seu antimonium*, uti videre licet *lib. 9. de local. medicam. c. 5.* & *Nicolaus Myrepsicus* contra apoplexiam, epilepsiam, maniam, quartanam febrem & similes affectus *antimonium* in suam antidotum adjiciat *sect. 1. cap. 470.* Examinentur *conf. alkerm. spec. cordial. lætit. Rhas. & Galen. elect. chalybeat. pil. d. nitr. Trallian. pulv. solutiv. ex tartaro &c.* plura metalla & mineralia continentia, ut alia non pauca taceam medicamenta, quibus immiscuerunt veteres metalla cruda, nec ullo modo vel præparata, vel correctæ, utpote ignorantes artem illam purum ab impuro tam accuratè separantem, quæ ubique hodie fervet, & omnes ferè pharmacopoliolorum angulos Chymicis replet medicamentis, ut utiliter & abs ullâ noxâ nostris temporibus mineralia & metallica frequentissimè à doctissimis præscribantur Medicis; quæ de exhibendis metallicis controversia prolixè à multis tractatur, ita ut contrarij modò dictæ sententiæ refutentur solidè, ad quos Lectorem plura desiderantem remitto. Reperiri verò aquas minerales non paucas, potius valdè noxias, non nego, talesq; *Authores supra citatos*, qui tales improbant aquas, intellexisse judico; At ab his ad acidulas nulla consequentia. 3. In specie potissimum *vitriolum & sulphur aci-*
dula-

dularum sunt ingredientia. Illud autem venenum esse non solum *Sylvaticus controversia* 48. verum etiam *Iacobus Lampugnani Practic. Medic. in Romano Gymnasio Professor Primarius*, & *Protomedicus designatus*, confirmare tentat ratione, authoritate & exemplo, speciem etiam designans veneni, esse nim. venenum exurens & corrodens, corrumpens & simul deleterium proprietate formæ & temperamenti. Hoc quocunque modo paratum in corpus assumptum noxium esse clamant multi, inter quos familiam ducit *I. Crato, Medicus trium Imperatorum celeberrimus*, qui in variis hinc inde *Epistolis* vina fumo sulphuris saltem imbuta non sine noxâ bibi, sulphur inchoatum esse arsenicum, & venenum possidere, quod nullâ arte ab eo queat separari, ita resolvere corpora, ut statim concidant, imò ita exhaurire vires, ut duos Medicos cum aliis multis ejus usu interiisse viderit, scribit. Verum non in acidulis ita crudum, sed à naturâ variè temperatum optimèque præparatum est *vitriolum*; quid, quod id simpliciter bis vel ter aqua communi lotum ad duos scrupulos vel drachmam sæpè in febribus tam contagiosis, quàm contagii expertibus propinare se bonis ægrorum rebus dicit *Heer Spadacren. c. 4.* Nec venenum illud esse asserit, & ab hac calumniâ defendit non solum *Castellus Epist. medicin. 10.* sufficienter, sed etiam *Sebastianus Iozius Protomedicus generalis*, ut refert *supra laudatus Rolsinkius de febribus cap. 135.* Quoad sulphur, vina sulphurata in se & simpliciter noxia non sunt, quin potius noxam avertunt vini, integritatem ei concilians; ab arsenico quantum differat quoad essentiam sulphur, qui utriusq; adyta clave referabit chymicâ, viresq; excutiet, inveniet facilè, & licèt externâ, quod tamen negatur, convenirent formâ, nullum argumentum inde desumi posset, cum plurima diversissima inter se colore convenient. Esto, perierint illi Medici, sua periere culpa; sulphur est medicamentum utilissimum, sed fortioris paulò virtutis, adeoque parciori manu & cum cautela exhibendum: Imprudentis est Medici, optima etiam hac ratione infamare medicamenta, si sine ordine, sine respectu, quocunque modo & dosi exhibet; Est modus in rebus, & si hac de causa sulphur malè audire debet, nullum fortè vel tamen paucissima haberemus medicamenta hac culpâ vacua; ne dicam, quòd *Crato nostrum sulphur veterum* esse negat, illud *ambram gryseam* fuisse credens, sed sine probatione; *Dioscoridis enim & veterum omnium, qui de metallicis & mineralibus scripsere*, scripta pro nostro loquuntur sulphure: Hinc plures *Veteres* sulphur sæpissimè internis mi-

scient medicamentis, ne de nostro dicam seculo, quo tot nobilissima ex eo parantur medicamenta, innoxie semper, si debito modo exhibeantur, assumpta. Nec me ab hac dimovet sententiâ cautela *Heurnij method. ad prax. l. 1. pag. 39.* vetans exhibitionem balneorum sulphureorum per os, quia secundum *Archigenem*, stomachus his subvertatur; nam ipse *Galenus lib. 4. d. sanit. tuend.* multos usu sponte nascentium aquarum, quibus sulphuris inest vis, excrementa vacuare scribit, tum *Aetius lib. 11. cap. 30.* vires aquarum sulphurearum recenset bibitarum, & quoties suavisu *Medicorum doctissimorum* aquæ acidæ sulphure imprægnatæ bibuntur, testante abundè *Rulando in Hydriatric.* dum laudat plures acidas sulphure donatas, in variis potandas affectibus, docente experienciâ, magno cum commodo id fieri, absque ullâ ventriculi molestiâ, quod non solum in vicinis *Nideromensibus*, descriptis à *Sam. Hasenreffero, Professore quondam in hac Academia Medico doctissimo*, beata nunc memoria, quarum odor facilè sulphur prodit copiosum, patet, sed & in innumeris hominibus, tum in seipso probatum in *Thermis Wembdingensibus*, copioso persufus sulphure, testatur *Reusnerus in descr. ear. cap. 5.*

VI.

4. Abstrusissima sunt, quibus acidulæ dotantur, mineralia, earumque investigatio difficillima imò impossibilis apparet, hinc puræ putæ, quicquid de earum dicitur viribus, incertæque conjecturæ sunt, ita dubiè autem de corio ludere ægri haud licet, cum nihil homine nobilius, nihil sanitate sit pretiosius, quam maximè divinum, suavissimumque condimentum esse dixit *Plutarchus*. At non ita abstrusa virium istarum cognitio, cum plures suppetant investigandi latitantia in aquâ mineralia viæ. Considerantur vel circumstantia aquam, vel aqua ipsa: Inter illa perpenditur situs ejus solem versus, aer ambiens, ipsius natura loci, plantæ crescentes ibi, mineralia circa illam reperta, ostium scaturiginis, canales illam vehentes, athena, in quibus calefit, labra, in quibus lavant ægri, tubi, qui eam in vicina exonerant loca, & lutum ipsum seu cœnum. Aqua ipsa pensitatur vel salva, & integra quoad odorem, colorem, saporem, qualitates tactiles, quantitatem, pondus, idque vel absolutè, quem modum leviter tangit & prolixè petendum esse ex *Haliographia Tholdij* scribit *Hauptmann. d. font. Hornhusan. cap. 3.* vel respectivè, ad alterius aquæ pensitando pondus, vel resoluta, filtratione, insolatione, evaporatione lentâ in loco calido, digestionem clauso hermeticè vitro, coctione & destilla-

Stillatione, quæ vel leviùs in M. B. vel fortiùs in cineribus aut arenâ, in aperto etiam nonnunquam igne, peragitur, & considerata exhibet varia, phlegma, spiritus tam volatiles quàm fixos, cremorem, flores, hypostasim, omnia exactè rimanda; quibus *modi* accedunt *aliy*, ut lintei aquâ madefacti iterumque exiccati examinatione, quem inter alios tradit *Libavius*: affusione aquæ vel Gallis Turcicis tinctæ, ad investigandum viriolum, de quo *Bauhin. de font. Bollens. l. 1. c. 12.* vel ligno brasilio tinctæ, ad scrutandum alumen, ut tradit *Etschenroutterus d. thermis*, vel quocunque nigro colore tinctæ ad expiscandum idem, ut tradit *Scheunemannus de novo fonte Misnia. His & aliis modis*, præsertim pluribus concurrentibus notis non impossibile est judicare de mineralibus & viribus acidularum, quales modos accuratè evolvit *Gerhard. tract. pract. d. Chymiatr. tb. 163. & seq.* ut & præprimis in probatione *Smalbacensium* multum præstitit *Helvic. Dieteric.* cujus modum conscripsit, & *præcipuorum Germania Medicorum* iudicio subjecit. Scrutationem ergò illorum in acidulis mineralium non sine utilitate institui posse, nec tamen infallibilem esse, neq; exactissimè naturam tradere acidularum, dico, nisi accedat experientia, quæ, *Galeno* teste, omnium facultatum, quæ medicamentis insunt, iudicatrix certissima, doctissimè de viribus & facultatibus acidularum informare potest, ut certi abs dubiâ hæsitatione aut conjecturâ præscribere eas ægris valeant Medici.

5. Plures acidularum læduntur usu, quàm juvantur, plures pristinis aut gravioribus onerati morbis lares repetunt suos, vale acidulis dicto. Verùm oppono his innumeros quotannis sarcinis morborum depositis domum redeunt ex acidis; non juvantur quidam, quia miracula sæpè poscunt ab illis, quæ longè earum excedunt vires, sicut ille erutis oculis, qui, referente *ingeniosissimo I. V. Andrea, Epist. 146.* à fonte *Capfenethensi* visum reposcebat; & quod ab earum usu lædi quosdam contingit aliquando, fit vel ob assumptas aquas noxias, vel errore sive Medici præscribentis eas, de natura acidularum & morbi non satis instructi, sive ægri, vel inconsulto Medico, impræparatoque corpore eas accedentis, vel in earum usu debitas leges Medicas excedentis, sicque omni absolvuntur culpâ acidulæ.

6. Paucissimis conveniunt acidulæ hominibus. At posito, non tamen concessio hoc, monstretur vel auxilium, vel medicamentum cuivis indiscriminatim conveniens homini; venæsectio, purgatio, vomitus, sudor, vinum, theriaca, quæ tam nobile medicamentum quid nocuerit illegitimè assumpta, docet

cet *Salmuth cent. 1. observ. 51.*) aliaque infinita non ex limitibus relegantur Medicinæ, nec tamen omnibus quadrant hominibus, quo ergò jure excludentur acidulæ? His ita breviter explosis argumentis non prohibendum omnem acidularum usum dico, motus & *experientiâ*, eas debito modo ab hominibus, quibus congruunt, potas, non modò nihil damni, sed immensum quantum utilitatis & emolumenti afferre docente, & *ratione*, laudatissimas earum vires ex nobilissimis mineralium facultatibus colligente & laudante, & *authoritate* non unius saltem, sed omnium penè tam *veterum Græcorum & Arabum*, quàm *recentiorum Medicorum*.

VII.

Non omnibus autem ita indifferenter eas semper convenire earum docent *prohibentia*, quæ vel *usum prohibent totalem*, vel *eum inceptum sufflamant*; illa que vel in ipsis hærent *acidulis*, vel in *subjecto*. Ipsa sui prohibent usum, quando colorem, odorem, saporem, consistentiam & vires suas mutant naturales, quod accidere sæpè testantur *experientiâ* aucthores fide dignissimi, inter quos est *Fallop. tract. d. therm. aq. cap. 11.* Cujus mutationis *causam non* agnosco occultam solùm & soli DEO cognitam, ut placet quibusdam, *nec* malignam semper aëris, secundum alios, infectionem, sæpè enim malignitate præsentem, minimè, eadem verò absente, valdè mutantur, *nec* minerarum mutationem, cum ad priores redeant vires aquæ, *sed* causas esse dico, remotiores, astra, propinquiore, aërem noxia *μιάσματα*, quibus est infectus, aquis communicantem, immensum solis æstus, terram porosam & fissam præ siccitate penetrando, sive spiritus mineralium subtiliores, sive aquæ copiam absumentem, pluvias copiosas & excedentes, non solum ob aquarum copiam vires acidularum obruentes, sed etiam infecta, sordesque varias iis commiscentes, nebulosam, caliginosam & austrinam cœli constitutionem aërem, qui mixtus aquis turbat easdem, sæcibus variis imprægnantem, fluminum inundationem, sine dubio acidulas etiam quandoque obtundentem, & terræ motum, qui licet rarò, non difficulter tamen acidas immutat aquas. Quibus addere licet *illam*, quæ anno hujus seculi 60. *Dæniacenses*, quoad saporem & odorem præcipuè, per tempus insigniter *mutavit*, *causam*, cum nimirum ad cogendas acidas & arcendas alienas, quas sylvestres vocant, aquas limo seu luto variis, inter quæ etiam calx, aquæ se communicantibus commixto munita fuisset earum scaturigo. Tales & similes ob causas mutatarum acidularum *prohibetur* usus.

illa, quæ in *subjecto* hærent, enarraturo *prohibentia* occurrit *atq;* ubi arcent ab acidulis *pueros & senes*. Illos, quia tenera eorum, rara, delicata & mollia corpora facile exiccatione vehementi, vacuatione tam sensibili quàm insensibili, & acredine lædi possunt; Possunt tamen, necessitate urgente, absentibus nimis repugnantibus, ipsâ acidularum consentiente conditione, quantitate conveniente *concedi* aliquando pueris, sicut etiam pueros & puellas, duorum aut trium annorum, imò unius adhuc anni lactentem puellulam feliciter *Spadanas* insigniter vehementes aquas bibisse testatur *Heer Spadacr. cap. 15.* Hos, quia viribus ad subigendas acidulas carent, eæque magna assumptæ copiâ calore jamdum ætate debilem suffocant, pauca verò earum quantitas effectum non assequitur. Verùm decrepitos & in extremo constitutos senio non admitto; exemplum mortui talis senis apoplexiâ acidularum usu contractâ recenset *Hildesheim de morb. capit. spicileg. 6.* Senibus verò viribus nondum destitutis bibere acidulas penetrantes mediocri copiâ licet, quod & comprobatur experientia. *Gravidas* etiam mulieres abesse hinc jubent ferè omnes, cùm per menses & alvum, modis gravidis summè noxiis, secundùm *Hippocrat. sect. 5. aphor. 34. & 60.* vacuent. At bibere eas posse mihi videtur, morbo postulante, si tempus illud, quod purgationi gravidarum concedit *Idem sect. 4. aph. 1.* observent, quantitatem aquæ nonnunquam imminuant, & in aliis ita se gerant, ut abortum præcaveant, & foetus sani suo tempore exclusioni consulant, quod & feliciter sæpius cedere quotidiana non longè petenda in acidulis *Dainacensibus & Göppingensibus* haud procul hinc disitis testatur experientia.

VIII.

Vetant insuper bibere acidulas *alvus constipata, obstructa primæ viæ, plethora, meatus in corpore occlusi, & cacochymia nimia.* Quibus præsentibus acidularum si instituaturs usus, variæ & gravissimæ oriuntur noxæ, qualia plura prostant exempla; apud *Sebiz. de abus. acid. & therm. p. 22.* omnimodam urinæ suppressionem, apostema in uretere apud *Heer observ. 1. & 23.* gangrænam brachiorum, apud *G. Horst. l. 2. observ. 9.* epilepsiam, & ubiq; subsequenter mortem attulisse eas impræparato bibitas corpore legitur. Ut ergò bibere liceat abs noxâ acidulas, præparandum tale corpus, & leniri alvus, si constipata cum primis viis est, debet *Mann. Calabr. pulp. Tamarind. muchar. rosar. syr. rosar. solut. d. mann. diascer. Aq. passul. lax. El. lenitiv. mell. rosar. solut. passul. laxat. prun. laxat. pil.*

de aloë, marocost. *Mind.* propriet. *Myns.* clyster. emollient. &c. *Plethora* si adfuerit, perpenfis probè tam prohibentibus, quam permittentibus, secanda vena, vel adhibendæ cucurbitulæ. *Meatus* à materiâ si obstruantur, quæcunque illa sit, *aperiendi*, *materiaq;* ad excretionem præparanda est, quod fieri poterit syr. capill. vener. byzant. de quinque radic. acetos. simpl. sal. absynth. cichor. tamarisc. crem. tartar. tartar. vitriolat. elæosacchar. tartarifat. var. acid. tartar. composit. aronio-cinamom. quæ componere docet doctissimus Rolfinkius dissert. de tartar. cap. 9. & seqq. & Chym. lib. 5. sect. 1. art. 1. cap. 10. acid. tartar. chalybeat. quod proponit Angelus Sala Tartarolog. sect. 1. cap. 8. Tinctur. tartar. martis, pulv. hepatic. rubr. Excellentissimi Dn. P R Æ S I D I S, Mecœnatis mei eternum venerandi, digestiv. Croll. morsul. qui spiræ frequentis usus, ubi acidi confortantes dicuntur, & ex crystall. tartar. conf. alkerm. & sacchar. alb. in aq. rosar. solut. fiunt, aq. cichor. menth. orthemis. acetos. taraxacon. meliss. borrag. cuscut. lupul. fumar. simplic. compositâ, descript. Dorncreil. diss. part. 1. c. 2. *Cacochymia* verò si præsens sit, consentientibus aliis, imminuenda, aut tollenda est El. d. Tamarind. Horst. diarib. purg. diacydon. lucid. magistral. hic usitat. d. psyll. oxymell. helleborat. Gesn. cathartics variis, ut garyophyll. rosat. &c. *Mynsicht.* pulv. Cornachin. spec. diajalapp. M. diaturb. c. Rhabarb. diagryd. rosat. Extract. Tabell. diacartham. panchy magog. Croll. pil. aloëphang. familiar. *Myns.* Aquapend. corr. quas additis Arcan. duplic. *Myns.* & Antimonio diaphoret. frequentissimè non sine effectu optato præscribit Vir Nobilissimus atque Excellentissimus, Dn. B R O T B E Q V I V S, Philosophiæ & Medicinæ Doctor ac Professor in hac Academia Celeberrimus, Patronus & Cognatus meus omni observantia genere atatem colendus. Hæc autem cuncta in specie solerti prudentiâ à Medico accommodanda sunt patienti. Prohibentibus porro accensco phthisin, quæ acrimoniâ erodente, aciditate constringente, & vacationibus absumentibus acidularum aucta non paucos è medio sustulit homines; (contrarium tamen adducit exemplum Höchstetter. in decad. 3. observ. 10. curatæ nim. diarrhœæ in phthisico ab acidulis, suasque, quas describit, Wildungenses acidulas in phthisi valdè utiles esse, idemque quod lac asinæ præstare dicit Ellenberger descr. ear. c. 2.) & hæmoptoën, nisi hæc à sanguinis oriatur fervore, ubi aliquando concedi possunt; novi enim quendam hæmoptoicum aliàs innoxie bibentem acidulas.

IX.

Inceptum acidularum usum sufflamant menstrua purgationes mulieribus potantibus advenientes, quia vel nimis promoverentur, vel impedirentur, quale exemplum & subsequuta intensissima cephalæa habet Heer observ. 1. pag. 6., quia evacuationes per alvum, vesicam aut cutem instituta ab acidulis contraria huic evacuationi & noxia sunt, nec tanta urget necessitas, quin interrompere liceat inceptum per aliquot dies usum, cui tamen sæpè magno suo damno nascuta contrahunt mulierculæ. Faciunt idem symptomata quædam supervenientia, quæ quidem omnia ab acidulis introducta tolli ab iisdem sibi persuasum habent quidam; ast distinctione opus hîc; quædam enim symptomata, introducta ab iis, foventur & augentur ab earundem usu continuato, quibus præsentibus interrompendus earum potus, illisque variis renitendum medicamentis; quædam verò extirpare rursus eadem possunt, causam nimirum quietam antea & latentem, nunc excitatam, quocunque modo per varia corporis emunctoria expellendo, aut sistendo & tranquillando, & tunc potus earum continuandus, nisi vires ab istis symptomatibus nimis debilitatæ repugnent. Desistendum etiam aliquando ad dies aliquot ab earum usu, ob alienas iis communicatas qualitates, de quo supra lib. 7. dictum.

X.

Acidularum itaque Indicantibus & Prohibentibus excussis, ad rectum earundem accedo usum, primò quidem proponens *Quantitatem*, ut continuam, post ut discretam. Illa apud *Authores* varios variat: *Montagnana tract. 3.* calidarum *Patavinarum*, *Aponensium*, *S. Petri* & aliarum aquarum mineralium non plus conniyet bibendum, quàm *uncias quatuor vel octo*. *Andernacus dial. 1. de balneis*, minimam dosin non multum *infra libram* subsistere, maximam *viginti septem uncias* non excedere debere vult. *Fumanellus cum Aleardo, libr. sui de baln. c. 5.* *Calderianarum ferratarum* maximâ quantitate *tres libras* concedit. *Guainerius Aquisanarum l. d. baln. c. 4.* *pintas tres*, *Taurinensis*, cum *Savonarola libr. sui 2. c. 9.* *Aquensium libram semis ad tres* concedit. *Archigenes apud Aëtium lib. 11. c. 30.* *tres præscribit heminas*, & ad sex ascendere jubet, quas æquales libris nostratibus Medicis dicit *Heer Spadacrem. c. 13.* laudans *Fallopium* incipientem à libris *quatuor aut quinque*. *Frascatius l. 3. de æq. Returbij centum*, *Zimalia 280. uncias*, *Baccius 20. libras*,
refe-

referente Sebizio, bibendas imperat. Claudinus d. ingress. ad infirm. append. sect. 1. ad tria vel quatuor ad summum bocalia, ut vocat, alcendit, quorum unam continet libras tres & uncias quatuor. D. D. Hörnigk tres, D. D. Spina quatuor, D. D. Neumann tres cum dimidia mensuras Swalbacensium aquarum præscripsit consentiente laudato supra Horstio, ut pag. 60. d. acid. Swalbac. refert. Bis singulis diebus quatuor usuales aquarum Griesbacensium mensuras bibit rusticus quidam, tradente Viri Excellentissimi Dn. Ioh. Ludovici Mögling, Philosoph. & Medic. Doctoris, Physices & Matheseos hinc Profess. Publ. Eruditiss. Cognati & Patroni mei colendi, Dn. Parente, ejusdem nominis, Clarissimo itidem quondam hujus Academiae Professore, tractat. de incons. acidul. us. pag. 47. ut & quidam Spadanarum ultra & decem hebdomadas quotidie trecentas quinquaginta bibit uncias, quæ constituunt nostrates civiles mensuras sex cum dimidia & uncias duodecim, testante Heer Spadaeren. cap. 9. Cæterum omnium in genere acidularum certa dosi omnibus subjectis præscribi nequit, nam varia non solum sunt subjecta, sed & acidulæ, quædam enim activiores sunt aliis, ut Annæbergensis in Saxoniâ Electorali, referente Scheunemann. 14. discours. philosoph. tam magnæ est activitatis, si scaturigo ejus aquâ communi contaminata non sit, ut morbos gravissimos & quidem chronicos spatio quatuor vel quinque dierum curet. Ut tamen aliquam earum ponam dosin, minimam dico constitui posse à quartario nostrate dimidio ad integrum, mediocrem à mensurâ dimidiâ ad quartarios tres, summam à mensurâ unâ ad quartarios quinque vel sex, unâ vice seu dosi bibendo. Verum ut cuilibet individuo debita præscribatur quantitas, affectus ipse p. n. probè perpendendus, indicans quantitatem, cum viribus, quæ, si validæ, permittunt, si debiles, prohibent majorem dosin, & circumstantiis aliis tam aquarum quam subjecti vel permittentibus vel prohibentibus; Tutissima autem quantitatis regula est εὐφορία, & quidem non primis tantum diebus, sed per totum potationis tempus. Quamdiu autem bibenda imperata aquarum dosi sit, ediscere poterit patiens ex perpensis, si quos sentire incipit, aquarum effectibus, collatis ætate, complexione, aliisque circumstantiis numerum dierum variantibus, idque optimè, si cum Medico de hoc egerit, morbi enim alii sive causæ morbificæ sive partis affectæ culpâ, facillè, alii difficulter tolluntur, aquæ ipsæ nonnunquam in ipso usu, nonnunquam post eundem modò suos patefaciunt effectus. Dosin autem præscriptam non

primo mox assumat die, sed *ascendat* sensim ad eam per aliquot dies incipiendo à quartario dimidio vel uno, addendo semper, donec ad summam pervenerit dosin, quâ per debitum tempus quotidie assumptâ iterum ita *descendendum*, cum, quomodo se patientis natura ad ferendas acidulas comportatura sit, lateat adhuc, tùm omnis subita ad contraria sive infueta mutatio inimica naturæ sit. *Hippocr. sect. 2. aph. 51.* *Discretam* quod spectat *quantitatem*, non præscripta dosis uno haustu, continuâve ingurgitetur serie, nè ventriculus læsus subito aquas eas revomere faciat, aut eæ nimis citò ante debitam actuationem ob quantitatem molestam à naturâ expellantur, sed paulatim partitis bibendum vicibus, tantum inter quemvis haustum interponendo spatium, ut libere liceat respirare, ventriculusque non offendatur, ne tamen ultra dimidiam aut maximè integram horam ea extendatur mora.

XI.

Tempus bibendi acidulas vel *universale* est, vel *particulare*. *Vniversale*, certum scil. anni tempus, judicandum ex efficaciâ, salubritate & sinceritate *acidularum*, ac bibentis dispositione *subjecti* secundùm anni tempora. *Illæ* intenduntur æstate, quia vivificâ tunc Solis luce perfunduntur, ejusdem calore attenuantur, leviores, clariores limpidioresque redduntur, remittunt aliquantum in autumno, præsertim eò magis, quò vicinior est hyemi, & vere, tùmque eò minùs, quò longinquius ab hyeme recessit, maximè remissæ hyeme sunt, quia alia tùm, quàm quæ æstate fieri dixi, contingunt, quanquam non omnis eo tempore iis deneganda efficacia, sed impuritas tantùm imputanda major. Quoad *subjectum*, ver ob aëris temperiem, corpus humidum, & ad vitiosorum evacuationem humorum dispositum, meatusque in eo moderatè apertos commodissimum est, cui parum cedit æstas, & autumnii initium, contrarius verò in hoc est autumnii finis cum hyeme. His æquâ pensitatis lance, judico, ordinarium & liberum tempus si est utendi acidulis, potari eas deberi à *mensē Aprili seu Majo* ad *Septembrem* usque, nostris præcipuè locis, (nam & regionum conditio inter alia variare tempus potest) hac adjecta nota, non me anni tempora intelligere aut menses, quocunque affectos modo & in se, sed ipsam aëris temperiem, respondentem istorum mensium aëris conditioni, quæ vigeret, si tempestiva fierent tempestivè. Dura tamen si cogat necessitas, mora que minetur periculum, possunt & hyeme bibi acidulæ, cum saporem aut suas

omnimodè vires tùm deposuisse neget experientia, testibus *Heer Spadacren. c. 12. & Tabernamont. p. 1. hydroth. c. 8.* ipseque aër variis modis corrigi possit hybernus; nec hoc dissuadent symptomata, quæ introducta à potu earum hyberno prætendunt nonnulli, cùm forsan debitè administratus non fuerit, & , posito quidem hoc, etiam aliis anni temporibus varia corpori inducant symptomata, de quibus infra *th. ultim.* Semel verò usurpatas singulis annis vel bienniis repetendas esse acidulas sibi quidam persuadent creduli; at Indicantis requiritur præsentia, eo itaque omnimodè sublato, non amplius earum indicaturus, non verò sublato penitus, consentientibus & aliis, earum utique usus est repetendus. *Particulare tempus*, diei scil. pars, conveniens erit tùm, cùm acidulæ efficacissimæ, nec detrimentum aliquod virium passæ sunt, aër corpora nec exolvens, nec constipans nimis, natura alacrior atque robustior est, meatus in corpore aperti, excrementaque, quantum licet, deposita sunt, ventriculus vacuus, nec intra aliquot horas circa coquendum cibum exercendus est. Bibat itaque acidulas patiens manè, non statim, postquam experrectus, sed præmissâ levi inambulatione, depositisque excrementis, horâ quintâ, sextâ, aut dimidiâ post eam, à meridie seu vespere, absolutâ, si non penitus, maximâ tamen ex parte, concoctione, quod absentia ructuum & gravitatis circa præcordia, intervallum ab assumpto prandio debitum, cibi assumpti *ἐμπέτοι*, in debitâ quantitate, & alia docebunt, excretâ manè assumptâ aquâ, & suppetente ad operationem aquæ ante cœnam tempore; bibat tamen minorem, quàm manè copiam, (licet contrarium sentiat *Sebizius, ob atatem & eruditionem Venerabilis Vir, d. acid. sect. 2. dissert. 9. th. 7.*) imò plures patientes melius agere, si longius, quàm aliàs, continuatâ curâ, intermittant vespertinum potum, judico, quò etiam inclinât *Deodatus Panth. Hygiastic. l. 2. c. 15.* nec rationes adversæ adductæ à *Macasio, desor. acid. Egran. c. 7.* tam firmæ, ut explodere hoc possint. Non verò ab assumpto cibo, nec enim bibendæ tùm sitis gratiâ extinguendæ, nam in pastu placanda ea, nec ad inhibendos ad caput è ventriculo ascendentes vapores, nam concoctionem turbantes ipsæ & chylum educunt erudum, & vapores excitando eosdem cerebro adducunt, nec ut medicamentum, tùm ob causas modò dictas, tùm quia sufficit bis eas de die bibere, cùm omne nimium noxium sit; nisi intensissima sitis quendam assuetis concedat haurium.

XII.

Locus bibendis acidulis commodissimus est non procul ab ipsâ scaturigine, quem suavitas saporis, integritas odoris, coloris probitas, substantiæ tenuitas, ac claritas, & operationis felicitas, quibus ibi eminent, commendant; at cum variæ causæ fontem ipsum adire vetent, sciendum, minerales hincque etiam acidos quosdam esse fontes, qui tenaciter ad aliena aliquando transportati loca suos retinent spiritus, sic fontis medicati S. Helenæ in Selandiâ aqua in vasis vitreis puris annos quinque & amplius incorrupta manet, testante Medico Hafniensi famigeratissimo, Th. Bartholin. cent. 5. hist. 15. quosdam verò, imò ferè omnes mox suas, non quidem deponere, imminutas tamen exercere vires, pro magis vel minus spirituosâ suâ naturâ, cui, quocunque transportentur, semper de- cedit aliquid, ut vix unquam viribus omninò respondeant acidis scaturientibus transportatæ; ad aliena tamen loca devchere, ibique asservare etiam, sedulâ tamen cautione, licet, cum viribus exutæ omnibus non sint. Varios huic scopo inservientes modos describunt Grassec. Scatebr. Petrin. part. 2. c. 10. & Sebiz. supra citat. de acid. sect. 1. dissert. 14.

XIII.

Modum quod attinet bibendi acidulas, frigidanè an tepida seu calida assumendæ eæ sint, dispiciendum. Calefaciendas eas non esse persuadere videtur sensibilis aciditatis, claritatis, consistentiæ & subtilitatum spirituosarum, quam à calore patiuntur, jactura, tùm enim salvas inibi vires esse quis dicet? imò calefactas eas non viribus solùm gaudere paucis, sed & varios inducere morbos exemplis hydropem & ventriculum debilem contrahentium in acidulis Dainacensibus confirmat Tabernemont. hydroth. p. 1. c. 79. quibus accedit, quòd tepidæ ventriculi tonum dissolvant, vomitum provocent, omnibus penè in hoc consentientibus Medicis, dum aquam tepidam vomitoriorum inferunt albo. Contrarius huic est sententiæ supra laudatus Mögling. lib. cit., qui pag. 45. dicta modò negat, conans probare, calorem acidularum viribus adimere nihil ob rationes sequentes, quia 1. substantiæ chymorum, fossilium, & mineralium, è quibus potissimum prodeunt acidularum qualitates lentâ etiam Spagyricorum digestionem & sublimationem non dissipentur, sed in fundo tandem vasorum lateribusvè obhæreant sensibilibiter. 2. Balnea ex calefactis parata acidulis vires habeant insignes. 3. Qualitates acidularum potissimæ à calore excitentur potius & erigantur, quàm supprimantur. 4. Occultæ

earum qualitates à calore pati nihil possint. 5. Multi, quos recenset, *Medici* fortibus & assuetis, vacuo ventriculo, frigidum acidularum potum permittant, imbecilibus & inassuetis tepidum aut calefactum. At *respondere* commodè videtur ad 1. non à sedimento, quod quidem quibusdam adhuc pollet viribus, sed à spiritibus potissimam esse acidularum potarum virtutem, quæ quidem aliqualis adesse potest, sed non æqualis ei, quæ frigidis inest, de qua, quæ *Fuchs. l. 2. Inst. sect. 5. cap. 28.* dicit, intelligenda esse judico. Ad 2. balneis eas potissimum, quæ solidæ & compactæ mineralium debentur substantiæ, vires inesse. Ad 3. & 4. non qualitates, sed substantias qualitatibus istis dotatas fugari, aut aliud quid pati à calore. Ad 5. cur *Medici* illi non omnibus tepidum, quia vires salvas retinet, præscribunt potum? Alias plures rationes, quod calidæ bibendæ sint acidulæ, profert dictus *Author pag. 26. & seqq.* quas examinat laudatus *Sebiz. sect. 2. dissert. 9. coroll. 1.* quos Authores, si libet, consule. Ego frigidas actu bibendas esse judico, frigore earum tamen paululum vel propè scaturiginem manuum fotu, vel in conclavi calido castigato, paulatimque, ut dictum supra, deambulando paulisper inter unum & alterum haustum, munito medicamentis ventriculo, ut omnis imminens ab eo avertatur noxa. Assumi autem solent *medicamenta tum* ad municiendum ventriculum, *tum* ad promovendas melius & juvandas in sublatione morbi acidulas. *Illa intentione* assumi poterunt Tab. aromatic. rosat. garyophyllat. diacinamom. diagalang. diazinzib. dianucist. diatr. piper. Morful. pineat. cum & sine conf. alkerm. Imperator. cortic. citr. arant. sicc. condit. sem. anis. fœnic. coriandr. cumin. saccharo præsertim semel tantum incrustat. (præprimis *Hörnigk quest. 14. d. acid. Smalb.* valdè *Anis de la Roynne une fois couvert in Gallia* maximè usitatum commendat) placentul. mellit. *Norimbergens.* Tragæa officinal. stomachal. *Birckhmann.* grossa, ex variis confectionibus, & Tabul. talibus parata, aliaque plura. Affectui simul si magis obviare placebit, convenient, *sanguificatione lasa*, Spec. & Tab. diarihod. Abb. diatrion santal. dialacc. diacurcum. *capite affecto*, Spec. & Tab. diambr. diamosch. d. diaplir. diacubeb. dianth. Troch. d. mosch. & ambr. *D. D. Haugij p. m. renibus & vesicâ malo detentis*, Tab. & Spec. dianis. diacurcum. lithontrib. Justin. *utero laborante*, Tab. & Spec. diamarg. calid. diacalaminth. diapras. diambr. & alia plura ubique in *Præticorum* libris tradita medicamenta, (potissimum verò in formâ solidâ, ob commodam gestationem, nam aliæ & aliæ

conveniunt formulæ;) de quibus five ante potum , five inter haustum unum & alterum , five potu absoluto assumere parumper potest hydropota. Constitutioni autem patientis aptanda talia sunt medicamenta, nec enim omnia conveniunt omnibus, quod & adducto Icti cujusdam celebris exemplo , cui malè cesserat usus morsulorum nimis calidorum, monet Geilfus. *de acid. Smalbac. p. 45.* Ut stimulum daret acidulis Egravis, cuidam Nobili eas bibenti, ut cuilibet haustui gutt. v. vj. vij. adderet spiritus vitrioli, auctor fuit quidam, cujus tamen institutum cum Hæfero in *Hercul. Medic. lib. 8. c. 3.* improbo. Monendum hîc etiam, ut vasorum, quæ maximè commendantur vitrea, studeatur puritati, eumque in finem mudentur ea fideliter teganturque, cujus negligentia quid noxæ creaverit, recitat *Grafec. libr. diæt. part. 2. c. 3. de quodam araneam* maximo suo damno cum acidulis deglutiente.

XIV.

Dietam nunc hydropotæ proponam commodam, & quidem eò lubentius, quia omnes acidularum effectus diætæ adscribunt nonnulli, asserentes, si maxima mortalium pars eam vivendi rationem institueret domi, id est, quotidie deambulando, temperantiæ studendo, fæces exturbando, frictionibus, laboribus, sudoribus corpus roborando & abstergendo atque adeò ad *Celsi* præceptum vivendo, variaque agendo se exerceret, neque acidis neque aliis fortè fontibus opus habere; id tamen sine fundamento. Aër non quidem semper talis, qualis ex re esset patientis, hauriri potest inspiratione, attamen, quantum possibile, fugiendus, vel corrigendus variis ubique obviis modis, commodâ præsertim habitatione, conclavis præparatione & suffumigiis, si noxia quadam peccaverit qualitate, serenus enim, purus, atque temperatus, vel ad calidum potius quàm frigidum vergens hîc esse debet; frigidus, ut semper, sic maximè post sudorem est vitandus. Cibi & potûs genera in specie non enumerabo, cum non solum prolixè à multis tractata sint *Medicæ*, sed & ordinationes acidularum benè constitutarum porrigere patienti, non nisi certa, eaque conducentia alimenta impèrent, prohibeant verò ea, quæ nocere valent, nec enim, ut *Helmont. d. font. Spadan. paradox. 6.* putat, nulli qualitate nocent cibi, sed omnis corporis, singularumque ejus partium constitutio pro variis esculentorum ac potulentorum facultatibus insignioribus diversimodè sæpè mutantur, ut inquit *Charleton Exerc. patholog. 6.* Quantitatem ciborum onerosam, si quisquam, hydropota certè ob insi-

gnia inde pullulantia incommoda repudiet. *Tempus cibandi* commodum est, aquâ vel omni, vel maximâ ex parte redditâ, vel, quia sæpè primis diebus multi parum aut certè vix dimidium reddunt, ut monet *Heer Spadacr. c. 14.* urinâ, quæ alba antea erat, jam tinctâ, vel vacuatione, quam causabat aqua, cessante, non tamen è consilio excludendo appetitum. *Tribus* autem aut *quatuor* circiter post potum *horis* hoc continget communiter. Errat hîc, qui vel *incoquit* acidulis alimenta, vel vinum iis diluit; Acidulæ enim coctæ assumptæ paucas habent vires & alimentosas & medicamentosas, ut dictum *supra*, quod de offis præcipuè testatur *Schwenckfeld. d. therm. Hirschbergens. p. 64.* nec ulla inde speranda gratia, cum aciditatem, gratam aliàs, minimè, sed nigredinem potius concilient cibis. Nec benè sanitati consulunt, qui vinum iis diluere jubent, ut *Solenander consil. med. sect. 5. consil. 13. G. Horst. l. 2. observ. 7. & l. 3. part. 2. observ. 20. & Helmont. paradox. citat.* aliique, non quidem sub ipsâ curâ, sed alio etiam tempore id suadentes. Alere enim corpus vino permixtæ non possunt, nec medicari ei, quia tantâ aquarum copiâ obruitur natura, tum ipsæ quoad vires vel à vino obtunduntur, vel coctionem turbant, chylum è ventriculo crudum educunt, ei, ut & sanguini mineralium corporum, quæ vehunt, qualitatum characterem imprimunt, variorum sic causæ morborum, sola verò vini si desideratur mitigatio, frigida simplex satisfaciet; diversarum porro operationum medicamenta nec miscenda invicem, nec cum alimentis assumenda esse, cum aliis Medicis pluribus abundè probat *Hess, quest. Medic. 9.* vinum autem & acidæ conveniunt minimè; Attendatur solum, quod scribit *Fabrit. Hildanus cent. 3. observ. 72.* ex *Pigray* observatione, de quodam, qui acidulas bibens cum confectioe seminis anisi uteretur simul, quod tamen non ita difficile concoctu, ipsum semen anisi cum urinâ excrevit. Probat & defendit eandem sententiam pluribus *Heer Spadacren. cap. 14. & 15.* Quantum ad motum, leviter inambulandum esse ante potum, dictum *supra*; post potum verò movendum itidem corpus ambulando, secundum recensitionem *Hippocrat.*, digladiando, aut manus gesticatione, pedes levibus choreis aut saltu exercendo, aut parva pila ludendo, non, donec sudet semper corpus, cum hoc faciliè, illud difficulter hoc faciat, sed donec fatigari incipiat modicè, ut aqua per corpus distribuatur faciliùs, debitusque partibus tam externis, quam internis concilietur calor. Media autem prudenti pede hîc incedenda via, consu-

lendaq; causæ morbificæ & affectus conditio, cum subjecti dispositione & ipsarum intentione acidularum ad commodum præscribendum motum. Non ergò vix deglutitis acidulis cursitandum velocissimè, non ascendendi subito summi montes, nec validè variis corpus agitandum exercitiis ad sudoris usque profusionem largissimam; Vis enim sic inferretur naturæ maxima, cum non semper per sudorem operentur acidulæ, nec quisvis tolli queant morbi sudore, quem motu etiam leviori, consentiente natura, vel aliis etiam medicamentis, absque ope acidularum, facile esset provocare; Ante cibi etiam assumptionem, ac post eandem, sed tùm levius multò exercere corpus sive inambulatione, sive alio modo ad juvandam coctionem conducet. Cui verò ambulare, aut proprio motu movere corpus vetant seu pedes debiles, seu aliæ causæ, equo aut curru se vehi, lecticâ gestari, sellâ portari ductili, pensilive lecto, aut calidis ad minimum lintheaminibus fricari se curet. Non verò per totum diem, ad languorem usque virium, movendum corpus, sed alternâ reficiendum etiam quiete, variè, pro lubitu, intra mediocritatis tamen terminos, instituendâ. Somni & vigiliarum immodicarum noxas inculcant passim Medici, non igitur negligendum præceptum Hippocrat. sect. 2. aphor. 3. & 51., sed & hîc aurea mediocritatis observanda regula, ita enim salvus vegetusque redditur in corpore sanguis cum spiritibus; in specie hydropota somno se non addicat meridiano, nisi diurnâ consuetudine eò adactus, nec mox post cœnam molli se committat lecto. Vigilare verò ad aperta omnia corporis emunctoria servanda, humores expulsionem aptandos, facultatesque roborandas, ut melius possit, variis tempus terat ludis, confabulationibus & aliis, quæ honesta indulget modestia.

XV.

Excrementa ut per alvum, vesicam, cutem, os, nares &c. expellantur, sanguis verò cum spiritibus retineatur debite, maximo hîc itidem curandum studio, duranteque acidularum potu, plura, quàm aliàs ejicienda patienti excrementa; excerni enim solent ex cum aliis humoribus nunc per alvum, per vesicam nunc, nunc per sudorem, per vomitum etiam aliquando, per insensilem transpirationem, aliasq; vias, nunc duobus vel tribus modis simul, pro vasorum versus quodvis emunctorium apertione, & humorum inclinatione, ipsiusque naturæ intentione. Non tamen ordinaria hîc conducit vomitio, quia crebrò repetita ventriculo, capiti, & oculis valdè nocet, hernias & convulsiones excitare amat, licet ob com-
moda

moda non contemnenda interdum, qui facilis ad eam est, & in primis viis, ventriculo præsertim, materiam vitiosam, ad superna tendentem fovet, non sine utilitate vomere possit; *Sanguinem* etiam, sive secta vena, sive cucurbitulis apposis, educere aliquando jubent Indicantia, permittentibus viribus cum reliquis: Non verò eadem cuivis patienti, sed pro ratione affectus hæc huic, alia alii convenit vacuatio, ea tamen semper intra mediocritatis versanda limites; nam & nimia sæpè expellunt copiam humores, cujus adducit exempla *Fabric. Hildan.* & quidem *de acid. Griesbac. de quodam*, qui per alvum, urinam & sudorem tam copiosè evacuatus fuit, ut vitam evacuaret simul, & *cent. 5. observ. 53. de puero septenni*, qui insignem & vix vel ei vel aliis Medicis antea visum, vitæque tandem filum abruptum urinæ fluorem ex potis sibi contraxit acidulis: de nimis supervenientibus diarrhœis quotidiana testatur experientia; talia autem symptomata quando inceptum sufflamment usum, quando non, dictum *supra th. 9.* Reinentur è contra sæpissimè, si non maxima pars, reliquæ tamen quædam acidularum in corpore, ad quas eluendas & educendas conducet clysteres aut suppositoria adhibere, vel quavis septimana semel aut bis assumere ante somnum Tinct. tartar. aut ante coenam pilul. Angelic. s. Francofurtens. Bayeri, (quas commendant plerique, non tamen iis tantas, quantæ de iis prædicantur, in acidulis concedit vires, multisque eas non convenire probat rationibus haud levibus *Hörnigk l. cit. quest. 15.* cui vera earum descriptio nota est optimè) laxativ. *D. D. Haug. p. m. propriet. Myns. tartarea Schröder. l. 2. c. 73.* crem. tartar. tartar. vitriol. &c. nec enim medicamentorum chymicorum usum potæ prohibent acidulæ, ut volunt quidam, si modò caveatur, nè diversa & præcipitantia eas exhibeantur, quod commune est nitro, vitriolo si societur; Eidem satisfiet scopo, si semel, bis, vel sæpius pro Medici placito per totum potationis tempus leniter purgabitur corpus Mannâ Calabr. cum crystall. tartar. vel infus. fol. sen. in acidulis frigidis actu, quod communissimum esse vidi *D. D. Osvaldo, Serenissimi Archiducis Austriaci olim Medico Cubiculario, Practico felicissimo*, vel speciebus quibusdam ex mann. fol. sen. tartar. passul. similibusque, affusis calefactis pro feliciore extractione acidulis, quo modo frequentissimè magno cum emolumento agrorum præscribere amat *D. D. Cellarius, Serenissimi & Clementissimi nostri Ducis Wirtembergici Archiepiscopi celeberrimus, Fautor meus et atem venerandus.* Plura vide *supra th. 8.*

XVI.

Symptomata acidularum potatores cum vexent sæpè varia, contra quædam eorum *medicamenta Medicorum celebrium*, universalibus, ubi opus, præmissis, *selecta*, in varias redigi facilia formulas tam *externas*, quam *internas*, assignare libet; Plura de eorundem sublatione qui desiderat, prolixa *Præticorum* adeat volumina. *Ventriculus* à flatibus aut crudis humoribus si *distendatur*, dolore inde accedente, proderunt *medicamenta supra th. 13.* ad ventriculum muniendum proposita, quibus addo theriac. mithridat. acor. condit. aq. Anhaltin. cinamom. buglossat. elix. vit. *Quercet. Matthiol. proprietat. Crollij, vitrioli Mynsicht. ol. dest. anis. fœnicul. car. cumin. chamomill. pulveres*, quos describit *Mylius Antidotar. lib. 4. cap. 13.* aquam contra flatum D. D. *Schmidij*, in frequentissimo usu *Argentorati*, pulv. cachect. D. D. *Bezae, Præfici ibidem exercitatissimi*, Balsam. fœnicul. quod valdè commendat *Thonerus observ. l. 3. emplastr. d. crusta panis cum ol. cumin. malaxatum. Imbecillitatem si idem* vel à copiâ vel frigidityte contraxerit aquarum, convenient *Nucist. Ind. nuc. jugland. cort. arant. condit. syr. d. cortic. citr. cinamom. diacydon. cum speciebus. cons. rosar. vitriol. extr. calam. aromat. stomachicum Grüling. Florileg. part. 18. c. 5. spirit. absynth. composit. D. D. Villingeri, Medici Ulmensis eximij, tinctura rosar. cum aq. icorzonar. composit. cerasor. acetos. syr. cinamom. succ. limon. & spir. sulph. uti præscribere frequenter solet Huswedelius Physicus Hamburgensis famigeratissimus, cerat. stomachal. balsam. ex mastiche D. I. Pontani, cujus descript. vid. in Prætic. Marold. pag. 145. Vomitus nimius non vomitu, quod pessimè cessisse cuidam Comitissæ Rheni in acidulis Smalbacensibus testatur I. D. Horstius descr. ear. p. 89. curabitur, sed si assumpta fuerint quædam tum modò recensitorum, tum recensendorum adhuc contra diarrhœam, accedentibus externis, unguent. comitis. illis, quæ proponit ex Rondelet. Wecker. antidot. spec. l. 2. pag. 942. ol. absynth. menth. macis, nucist. emplastr. ut sunt Bruel. Prax. p. 230. & ex Theriaca, quod laudat Hartmann. Prax. Chymiatr. p. 107. fomentat. ex vin. Hippocrat. malvat. aq. vit. & speciebus adstringentibus. Diarrhœa nimia occurrendum aq. portulac. plantag. rosar. syr. ros. sicc. corall. d. agrest. papaver. myrti l. granat. cydon. condit. sacchar. rosat. tab. croc. mart. adstring. cons. ros. rubr. antiq. electuar. Feynei Medic. Præct. lib. 4. c. 25. & alio Zecchi. consult. medic. 37. Theriac. cœlest. Clariss. Dn. Greiffi, pulv. Frisome-*

lig. quem vide *Marold. Pract. p. 210.* ol. myrtin. mstizh. cydoniorum. *Vrina suppressio*, ab obstructione partium ejus excretioni dicatarum introducta, tolli poterit aq. foenicul. cerefol. fragor. petroselin. antinephritic. *Tilemann. de mater. medic. p. 256.* syr. dialth. *Fernel. capill. ven. emuls. ex sem. 4.* frigid. cum aq. malv. violar. &c. parat. Trag. antinephritic. *Quercetan. pharmacop. dogm. rest. c. 20.* spiritus salis, bacc. juniper. nephritic. quem proponit, valdeque laudat *Schroder. l. 2. c. 81.* oxy-mell. diuretic. *Zwelfer. pharmacop. reg. class. 1.* balsam. sulph. terebinth. crystall. tartar. sal. juniper. & ocul. cancr. præparatis. Vehementia verò hic maximè fugienda, ob insignes ab iis imminentes noxas, studendum contra, ut mitigata ac temperata exhibeantur cuncta. *Ardor urinae* restinguendus est aq. lactuc. violar. malv. nymph. syr. papaver. violar. portulac. julep. violar. rosar. emuls. ex sem. lactuc. portul. endiv. papav. alb. cichor. amygdal. cum aquis appropriatis parat. cons. acetos. nymph. violar. fl. malv. quam experienciâ edoctus commendat valde *Amatus Lusitanus curat. 58. cent. 6.* spec. diatragacanth. frig. mucilagin. *Forest. l. 25. observ. 38. schol.* clyster. vel semicup. ex lacte, suadente *River. Prax. l. 8. c. 9.* Alvum constipatam aperiendi varij sunt modi: sorbilibus enim ovissumptis solvi nonnullis ventrem refert *Brasavolus tract. de medicam. purg. & Marcell. Donat. tract. d. mechoacann.*; ob ambulationem humi nudis pedibus solvere pertinacem ventrem *Thriverus comment. in Hipp. sect. 2. aph. 20.* scribit; solo purgantium odore laxari aliquando alvum exemplis docent *Alex. Benedictus in præfat. in libr. d. pest. Maranta meth. cognosc. simpl. l. 3. c. 15.* *Erasl. diss. de propr. medic. c. 60.* Sigism. Melanchthon, C. Bauhinus & alij. Sic Medicum Lipsiensem, D. Pfeilium, quoties purgare corpus vellet, ingressum pharmacopolia odorem electuariorum electivè purgantium hausisse, excernentem post ac alius pharmaco usus quinquies vel sexies, tradit *Salmuth. cent. 3. observ. 8.* & similia ferè *observ. 14.* Viso solum antimonij infuso purgatum studiosum quendam fuisse recenset *supra laudatus Bartholin. cent. 5. hist. 64.* Virum quendam, *Marsehium* dictum, solâ medicamenti recordatione alvum sibi commovisse refert *Walaus meth. med. p. 41.* Tassi & sternutatione alvi excrementa indurata in quibusdam se ejecisse scribit *Platerus l. observ. 1.* Per coitum communicatam fuisse vim purgantem alii copiosissimè tradit *I. De Horst observ. Anat. 10.* Commota alvus à quodam instillatâ secretâ *ocularum cantho majori aquâ.* Medicum quendam catopotia ex pharma-

copolio manibus domum gestantem strenuè ab illis purgatum fuisse scribit, referente Smerio, Guainerius; Matronæ cuidam delicatæ & medicamentorum sumptionem per os respuenti massam pilularum ipsis plantæ pedibus supposuisse Germano-Hispanum Medicum, ait Hæfer. tract. dict. libr. 3. ut taceam nunc epomphalia ad citandam tardio rem alvum ubivis obvia. Hic verò tales non suadeo modos, sed potius alimenta alvum lubricantia ac laxantia, & medicamenta commendata supra th. 8. & 15. ubi & valdè commendatam velim in infus. fol. fen. cum acid. tart. dissolutam mann. calabrin., quod medicamentum satis purgans, abs ullâ molestiâ, familiarissimum est Excellentissimo Dn. PRÆSIDI, cujus nunquam sine debito observantiæ & honoris cultu faciendâ mihi mentio. Injiciendi etiam clysteres ex acidulis ipsis, ex decoct. clysmat. vulg. lacte &c. addit. mell. crud. rosat. solutiv. elect. purgant. ol. emollient. & abstergent. sacchar. Thom. sal. vitell. ov. &c. qui non in intestinis sâtem crassis suas exerunt vires, sed ulteriùs ad alias etiam penetrant partes, quod præter plura alia brevitatâ causâ hîc omittenda confirmat inebriatio orta à vino per clysterem infuso, quam recenset Borellus cent. 1. observ. 56. Nocere tamen valdè immoderatum eorum usum tradit Tulpius l. 3. observ. cap. 16. Maximâ tamen hîc opus cautione, ne nimis vehementia exhibeantur purgantia; Non igitur salvâ conscientîâ quidam sua ex antimonio & mercurio propinare possunt medicamenta, tantum non correctâ, ut præter symptomata, oriunda inde, quibus ægrum macerare solent, vel leviuscula per ignem probatio virulentiam eorum prodât. Plura alia hydropotis nonnunquam accidentia symptomata, quia rariora & accuratè ab aliis, & sufficienter tractata, hîc omitto: sicq; cum submissâ errorum deprecatione, hujus dissertationis contraho vela.

Sacro-Sanctæ & Individuæ TRINITATI, ut omnium bonorum, ita & acidularum Fonti sit Laus, Honor & Gloria in sempiterna seculorum secula.

Clarissimum & Meritissimum

DOMINUM CANDIDATUM

RESPONDENTEM.

Ingenii in *Camera* cimelia quanta reposita,
 Hoc quod Apollo sacer finxit ad alta, tuum.
 Næ satis ostendis *CAMERARI* doctæ, laborum
 Optatum finem, præmia quisq; videt.
 Insuper atque probat tua *Dissertatio* docta,
 Quam nullus Momi rodere dente potest.
 Dum *fontes acidos* miro molimine mentis
 Perstringis, vires egregiasque doces.
 Qualiter & curet languentia corpora lymphæ,
 Lymphæ potens, præ quâ nil Panacæa foret.
 Hinc, qui pro meritis tantis debentur, honores
 Mox capies, studiis digna brabéa tuis.
 Exoriuntur eo nunc gaudia mille Parenti,
 Nec minùs exoritur gloria pulcra tibi.
 Gaude forte tuâ, & venturos suscipe honores,
 Indolis atque altæ grande tuæ pretium.
 Ornabit te nostra Tubinga, ornabis eandem;
 Extabit magnus sic honor iste tuus.
 Maçte istis titulis, generis Spes maxima, maçte,
 Et Patris & Patriæ gloria: vive, vige.

*Ista suo Pyladi scribebat
 fidus Orestes*

Johannes Fridericus Huldendorff.

FINIS.